IN FUNERE


CARDINALIS AMPLISSIMI

THOMAE RUFI

SACRI COLLEGII DECANI,

ROMANAEQUE ECCLESIAE VICE-CANCELLARII

ORATIO.



VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

ROMAE, MDCCLIII.

Apud Haeredes Jo:Laurentii Barbiellini Typographos, & Bibliopolas in Foro Paſquini.

SVPERIORVM FACVLTATE,

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAECLARISSIMO VIRO

JOSEPHO MARIAE RUFO

ARCHIEPISCOPO CAPUANO.

S. M. D. M. S. D.

ETSI dolore luctuque agitati, nec omninò ſilere, nec eloqui honeſtè valemus; ea tamen eſt, praeſtantiſſime Præsul, Patrui Tui Thomae Rufi magnitudo meritorum, ut quidvis potius a nobis committendum ſit, quam tanti Viri laudes, celeberrimas illas quidem, at nec omnes, nec omnibus omnium Saeculorum perſpectas praeterire. Namque acerbiſſimo

caſu debilitatae fractaeque mentes noſtrae, quum ſeſe ad aequiorem habitum componere niterentur, famaque hic increbreſceret ANTONIUM RUFUM Cardinalem Fratrem Tuum, cujus adventu Patrui deſiderium obliterari, vel minui ſaltem poſſet, propediem e veſtrâ Balneariae Ditione, quo valetudinis causâ conceſſerat, affuturum; incredibilis planè ac miseranda calamitas inflictum vulnus crudeliſſimè renovavit, auxitque vehementer. Vix enim ſex ſeptemve dierum interpoſitâ morâ, ex quo Patrui Funere tenebamur; ac ſi nonnimis magna ſuppeteret nobis parumque recens cauſa doloris; ipſe etiam Nepos qui ob inſignem quamdam innocentiam, comitatem, probitatemque naturae mirificè ab omnibus diligebatur, importuno fato ſublatus eſt. Ita quae pro ipſius adventu vota conceperamus, in mœrorem omniſque alacritatis deſperationem converſa, inuſitatum, vixque ferendum luctum nobis attulerunt. Sed quoniam uterque pulcherrimo quodam uſus inſtituto ita vixit, ut in ampliſſimo dignitatis gradu quibuſcumque rebus poſſet benè omnibus fecerit, ac benignè, quaeque non exigua laus eſt laeſerit praeterea neminem, atque ita exceſſit e vita ut Patriae, Propinquis, Amicis, Familiaribus, Ambitioni, Gloriae, Sibi demum ipſi abundè ſatisfecerit; ac primus quidem aliquâ veluti correptus vivendi ſatietate, alter verò tamdiu vixit quamdiu ſe cum Patruo vivere putavit, ut autem de illius morte nuncium adventare neſcio qua felicitate ſuſpicatus eſt, eripuit ſeſe, nunciumque ſefellit ac moleſtiam, quæ ipſum ingens morabatur ſi vel temporis punctum noſſet ſe Pa-

truo

truo ſuperfuiſſe:nos aliquando a dolóre,ac luctu recreati,quae noſtri officii ſunt proſequamur. Utinam vero ad celebrandas THOMAE RUFI divinas virtutes laudator alter acceſſiſſet;neminem profectò ex omni antiquitate,omnique prædicatione tantopere ſuſpiceremus,quo non praeſtantior,vel inferior quidem nihilò is habendus eſſe videretur. Nunc autem quàm de ipſius laudibus Orationem concinnavi priuſquam Nepotis obitus renunciaretur,quandò aliquibus non indigna prorſus viſa eſt, quae in hac literarum luce prodiret, nemini potius erat quam Tibi, PRAESUL AMPLISSIME, nuncupanda. Qui quum ſingulas Patrui Tui virtutes, inſignes illas praecipuè atque excellentiores Tibi imitandas propoſuiſſes;invitus nonniſi ac penè objurgatus ut Aletinam Eccleſiam reciperes gubernandam, a Pontifice Maximo *Clemente* XII. adduci potuiſti. Nempè is de ſingulari tuâ pietate, doctrinâ, modeſtià certior factus, nihil ſibi velut in altiſſimâ Orbis Terrae ſpeculà conſtituto adeò convenire arbitratus eſt, quam ſi Te a tranquillioris vitae ratione ad Reipublicae uſum tranſtuliſſet, itàque ad ampliora ſuſcipienda munera paulatim excitaret. Quod planè beneficentiſſimi Pontificis de Tuâ virtute judicium,BENEDICTUS XIV. excelſi animi, ac majeſtatis haeres comprobavit. Capuani ſiquidem Archiepiſcopatus gubernacula, quae Urbis iſtius, & Eccleſiae ratione plena ſunt honoris, plena dignitatis,nulli maluit quam Tibi commendare; ut quoniam Aletinae Eccleſiae ſatis profuiſſes, celebriori in loco magis, magiſque tuae laudes eniterent. Quas inter illa mihi caeteris anteire,vel omnes certè

 aequa-

aequare videtur, quam a literarum cultu ac Patrocinio Tibi maximam comparaſti. Neque verò ſi aliquo locorum intervallo, diverſiſque Imperiis diſtinemur, ideò minus tua nobis explorata humanitas eſt, qua Aletii, qua Capuae, qua Neapoli praeſertim florentiſſimas hominum eruditorum Academias in tuis Aedibus inſtituiſti; ne quod otii Tibi a gravioribus eſſet negotiis, in remiſſione potius animi, quam quibus ab ineunte aetate ſedulò incubuiſti literarum ſtudiis impenderetur. Haec enim ſunt illa ſtudia, quae *Adoleſcentiam alunt, Senectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perſugium ac ſolatium praebent*, nomenque noſtrum, quod vix homini ſperare fas eſt, immortali tradunt memoriae Poſteritatis; ut jure quidem duo Te Pontificum Romanorum, alter amantiſſimus literarum, alter et ipſe Literatiſſimus ad ſummos Eccleſiae Magiſtratus evexerint, quum tuos gradus illis jiſdem inſiſtere veſtigiis intuerentur, quae ipſi multà luce conſpicua in Gloriae, Virtutiſque ſemitâ reliquerunt. Quod ſi etiam illud inſpiciamus quanti Patruus Tuus, Vir omnium qui ſunt qui erunt opinione probatiſſimus, Te fecerit, quantaque ſit benevolentiâ proſequutus; id quod illius Viri judicium ut aſſequamur, magis virtuti quam pietati & obſervantiae in illum tuae tribuendum eſt: verè mihi videor dicturus, nullum Tibi deeſſe ornamenti genus, quod magnoperè ſit expetendum. Quare age, ANTISTES humaniſſime, tuam iſtam animi altitudinem & firmitatem, quâ valetudinis adverſae incommoda, non modo ut ſapientem Virum non gravatè, verum etiam alacriter ut

Reli-

Religionis noſtrae Virum Principem decet adhuc pertuliſti, ad majus confer, ſi fieri poteſt, virtutis incrementum; ut commemoratis aliquando Majorum Tuorum, qui nullo non laudis genere floruerunt, rebus geſtis, tuam Poſteri, tuam inquam digito gaudeant imaginem oſtentare, in Teque potiſſimum conquieſcant.

Romae v. Kal. April. CIↃ. IↃ. CCLIII.

Digitized by Google

IMPRIMATVR,

Si videbitur Rm̃o Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriar. Conſtantin. Viceſg.

IMPRIMATVR,

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Rm̃i Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri Ordinis Prædicatorum.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

DOLENDUM profectò Bonis omnibus, Neapolitanae Urbi, Populoque Romano, Italiae cunctae, univerſae demum Chriſtianae Reipublicae, Sacroque praeſertim EE. PP. Collegio impensè dolendum eſt, quod Principem ampliſſimus Ordo longè clariſſimum, Romanae Eccleſia Cardinalem Vicecancellarium ſummis quibuſque praeditum, ac functum officiis, Urbs haec aſpectum Viri quo fruebatur magnificentiſſimi, decus quoddam inſigne Civitas Neapolitana, Italia etiam, Reſque publica Chriſtianorum, Boni omnes denique virtutum laudumque pulcherrimarum exemplar THOMA RUFO Cardinali defuncto amiſerunt. Ergò emenſis inoffensâ propemodum valetudine diuturnae ut nunc eſt vitae ſpatiis, niſi quod biennio ante, praeludium veluti hujuſce calamitatis, levis quaedam aegrotatio haud ante attigit beatiſſimum Senem, quam vocis omnium, clamoribuſque depulſa eſt; quum is ob ſingularem quamdam excellentiam commune fatum evaſiſſe, jamque renovatis viribus alterius aevi curriculum eme-

Digitized by Google

tiri videretur, tantâ vi deficientis naturae proximo anno exeunte correptus eſt, ut ſexto, & quinquageſimo tandem ex quo decubuerat die, poſteaquam acerbiſſimos cruciatus incredibili animi conſtantiâ toleraſſet, illa virtus, illa ſpecies, illa inquam praeſtantiſſima virtus, atque immortalitate ſpecies digna extincta eſt. O infirma humanarum rerum fundamenta, verèque hominibus Mortalium nomen prae caeteris animantibus attributum! Ac mihi quidem ad praeclariſſimi Cardinalis nomen Exteris, Poſteriſque commendandum, quum egregia multa, & eximia quae in ipſum a Patria, Parentibus, fortuna, aetate, virtute profecta ſunt ornamenta undique videntur confluxiſſe, tum verò illud ab omni gratiâ, errore, omnique ſuſpicione alienum acceſſiſſe longe pulcherrimum, quod haec Urbs Urbium Regina, cujus graviſsimum, veriſſimumque judicium adeo verentur omnes, ac reformidant, quum aliquo nonniſi majore vel commodo ad laetitiam, vel ad luctum incommodo ſoleat commoveri, ea doloris indicia tertium jam diem ubique demonſtret, ut maximâ velnti acceptâ clade, nuſquam antehac tam ſeriò doluiſſe videatur. Teſtis ille dum funebris pompa longo ordine, regioque apparatu per fora, per vias heſterno die duceretur PopuliRomani lamentabilis comploratus, praecibuſque ſingultus interrupti, lacrimae illae, tumenteſque ac dejecti oculi, tum vero omnis aetatis omniſque ordinis circumfuſa moerens multitudo in unius exſanguis corporis obtutu defixa. Teſtis etiam univerſorum dum Senex optimus laboraret ſollicitudo, ac tot in ipſius vitae diſcrimine ſpe ac metu agitati ſermones, ipſique in primis BENEDICTI Pontificis Maximi ad Aedes huic Templo finitimas, qui adeo jacentem Senem recrearunt acceſſus, crebraque de ſalute ipſius plena pietatis percontatio. Teſtes ferventiſsimae ad Superos effuſae preces, Numenque Evchariſticum dum albo amictum velo proximo in Sacello coleretur, ſuſpiriis, votis, gemitibuſque imploratum. Quid? ipſi nonne parietes, ipſae hujus Tem-

Templi vividae picturae, ne pientiſsimi Principis quem in extrema etiam aetate religionis officiis intra haec moenia ſtrenue vacantem conſpexerunt, exuvias modò lugubres intueantur, ſub hac funebri pendentium vittarum varietate, ſub hoc luctuoſiſsimo veſtium demiſſarum atrore, Solis lucem noſtroſque oculos refugiunt, atque ita forſan iſtorum funalium exemplo tacite plorant ac lacrymantur? Adeo nihil in Terris tam jucundum eſt, nihil tam auguſtum, quod effugere mortis caſum, ſupraque vulgarem ſe ferre conditionem poſsit. Verumtamen ſi hominum aetas aliorum interitu juvaretur, illaque Poetarum fabulis celebrata Fratrum pietas non tam eſset conficta, ut admitteretur aliquando, nec a praeſentium rerum naturâ penitus abhorreret, quoniam praeſtantiſsimi Cardinalis incolumitas haud aliter attentari potuit, quam per latera multorum ipſi objecta, & pene adhaerentia; neminem arbitror dubitaturum, quin tantae amore virtutis, multo etiam plures redemptores ad unius Viri vitam vindicandam propriâ ſalute neglectâ certatim accurriſsent. Neque enim ſi oculis cerni pulchritudo animi ut corporis forma non poteſt, idcirco minus mirabiles excitat amores admirationeſque virtutis. Quoniam vero haec Urbs, clariſsimorum hominum, inſigniumque Procerum funeribus aſſueta, unius Viri mortem tanto deſiderio proſequitur, ſquallore, luctuque, jam quanti ea virtus fieri debet, cujus tantopere jactura aeſtimatur? Nam generis nobilitatem, ſpeciem, amplitudinem, ingenium quoque, humanitatem, conſtantiam, religionem, robur animi & magnitudinem, ac de omnibus benemerendi ſtudium ſingulare, decora tandem univerſa quae ſingula in Principibus Viris, tantâque cum voluptate contemplamur, ſi unâ vice, unoque obtutu delibare velimus, non inanem quamdam vel in mentibus noſtris depictam imaginem intueri nobis neceſse eſt, quum prae oculis, heu illos quidem nimium immutatos! at majeſtatem adhuc ſpirantes ampliſsimi Cardinalis vultus habeamus.

Eâ enim e Gente natus eſt, quae vetuſtate, affinitatibus, ditione, rerumque geſtarum gloria jam diu *Magnae Domus* elogio inter primores Neapolitani Regni recenſetur, illius inquam Regni, quod ſicuti nec ubertate agrorum, nec amoenitate ſoli, nec Oppidorum, Portuumve frequentiâ, & mirificâ quadam ingeniorum felicitate, ita plane a nullo Regno, nullâque regione ampliſsimis Familiis, & nobilitate ſuperatur. Atque utinam ille mos PatriusMajorum ſimulacra in funeribus praeferendi ad haec uſque tempora ſervaretur; bello, & pace profecto, Auditores, clariſsima nomina conſpiceretis, quae ſignis veluti egregie factorum alte ſublatis, ad illuſtrem immortalitatem iter Cardinali eximio praepararent, ſplendidaque tot inſignium Virorum geſta in hoc uno quaſi centro quodam collecta, multo majori luce in illos ipſos reflecterentur, ac redundarent. Ille mihi agmen duceret nobiliſsimum, qui ex hac Familiâ ſexcentis & ultra ab hinc annis, Eccleſiaeque difficillimis temporibus, EE. PP. auguſto Senatui ab *Gelaſio* II. Cardinalis unicus adjectus eſt, Purpuramque ſui ordinis Viris nondum conceſsam ſero venturis Nepotibus oſtentaret. Quem longo duorum ſaeculorum intervallo ex eâ Ruforum ſtirpe quae ſedem in Galliis fixit Cardinalis alter ſequeretur, qui apud *Joannem* XXI. affinem ſuum, Romanae Sedi Avenione immoranti egregiam operam ſtrenuamque navavit. Quid caeteros morer infulis, armiſque decoratos, in quos ob avitam nobilitatem,plurimaque in Rempublicam egregia merita, ſumma Neapolitani Reges, maximaque beneficia contulerunt? In uno ſiquidem Thoma Rufo Cardinali, quando non ſingula ſed univerſa ornamenta, non adumbrata ſed expreſſa virtutum ſigna mihi videor intueri, neminem in hac Oratione Majorum ſuorum ei licet anteferre. Qui quum in Collegio hujus Urbis nobiliſſimo, ubi flos Italiae, imo Europae ferme totius ad humanitatis lectiſſimam exercitationem convenire dudum conſuevit, informandum ſeſe adoleſcentiae optimis inſtitutoribus

tra-

tradidiſſet, religione, literis, moribuſque tantum profecit, ut Patruo cognomini, qui poſtea Barenſis Archiepiſcopus ab *Innocentio* XI. Pontifice Sanctiſſimo dictus eſt, ipſe etiam haud impar ſanctitatis nomen relicturus, tunc vero in ampliſſimâ Praedicatorum Fratrum Familiâ morum innocentiâ, doctrinâ, vitaeque ſummis laudibus enitebat, nihil quod Adoleſcentulo Nepoti ſuo indulgeret ſupereſſet, omnia ſane quae probaret, ac ſecum ipſe tacitus miraretur. Cujus quidem Adoleſcentuli quantum fuerit ingenium, quanta ſpes, quanta indoles, ex his quae in ipſo geſsit juventutis exordio deprehendi poteſt, quodque omnes quoſcumque ſibi ſcientiarum aditus propoſuit veſtigandos, mente ac memoriâ penitus occupavit. Quis enim ſine maximo ingenio, docilitate, ſolertiâ, prudentiâ, illâque magnitudine animi prope ſingulari, tot ac tam varia graviſsimaque negotia Italiae, Europae, totiuſque Chriſtianorum Reipublicae in ſe reciperet, quae is etiam tum virentis aetatis explicavit adeo facile feliciterque? At ortus forma, opes, ingenium, aliaque hujuſmodi ornamenta, quae praeſtare de ſe nemo poteſt, etſi magnam illa quidem plerumque ſecumferant ſpeciem virtutis, vix tamen cum caeteris praeſtantium Virorum laudibus comparanda ſunt. Ad ea igitur mihi quiſque animum intendat, quae Vir clariſsimus non a Majoribus accepta, ſed a ſe ipſo efformata, non gratuita fortunaeque debita, ſed labore, virtuteque comparata recte factorum praemia ſibi ipſe procudit. Quibus in recenſendis Oratio etſi Defuncto honorificentiſsima, nobiſque maxime ſalutaris eſſe deberet; ni facta dictis, ampliſsimamque Viri virtutem, dignitatem ac merita eloquentiâ aequavero, Vos quaeſo, obteſtorque Auditores, ne ab eâ quae dudum in animis veſtris de tanto Principe inſedit opinione quidquam detrahatis. Nullius quippe tam inſigne, tamque ad omnem laudationem accommodatum genus orationis, nulla mens, nulla ratio in pernoſcendis, celebrandiſque virtutibus adeo exercitata uſquam

eſt,

eſt, ut ea quae ſum praedicaturus pro dignitate referre, aciemque oculorum diutius in tantâ luce ſuſtentare poſsit. Nam quid adeo novum, quid ex omni vetuſtate tam inauditum, quam Adoleſcentem capeſſendae Reipublicae deſtinatum, in ipſo aditu honorum, in ipſo aetatis atque ambitionis fervore oblata ultro ſplendidiſsima plenaque honoris munia repudiare? At vero Thomas Rufus, quum ab immortalis venerandaeque memoriae Pontifice *Innocentio* XI. auſpice ipſo, & auctore Patrui ſui fortunarum, ſolâ virtutis commendatione Bruxellis eſſet Internuncius Apoſtolicae Sedis deſignatus, hanc per ſe dignitatem eximiam, qua plures alii ad ampliora munera obeunda ſibi aditum patefecerunt, non modo ſubire noluit quantum potuit modeſtiſsime, verum etiam ſe id jure facere Pontifici Maximo divinâ quadam purgatione probavit. Expectate, Auditores, ab Adoleſcente nobiliſsimo praeclarum quodvis nimiſque conſpicuum virtutis documentum: ille tamen cogitata, ſpemque omnium longe ſuperavit. Non ſe valetudinis cauſsâ, non amicorum, non Patriae, non propinquorum deſiderio, non metu periculorum, longique itineris incommodorum, quod honeſte facere potuiſset excuſavit, ſed ne abſoluta ſibi nondum juriſprudentiae ſtudia interrumpere novi muneris functione cogeretur. O virtutis in Adoleſcente indolem conſummatam, vocemque aeternis praeconiis celebrandam! Tantamne ſapientiam, tantam admirandae moderationis vim tam parva aetas capere potuit? Quod ſi cui minus immortale videatur propterea quod complures alii Viri clariſsimi, quorum exempla jure optimo tantopere celebrantur, majores etiam honores, dignitateſque recuſarunt; nae is a rectâ virtutis aeſtimatione vehementer errat. Illi enim confirmatâ jam aetate, ſatiſque terrenarum rerum vanitate perſpectâ ab occupatione ambitionis pedem retulerunt; hic in ipſo juventutis flore quum nec moderationi locus, nec ambitioni caeteriſque cupiditatibus modus plerumque inveniatur; illi vitae propemodum exacto

cur-

curriculo, hic autem vix incohato ; illi honoribus exſaturati, hic nondum deguſtatis ; illi vitae pacatioris amore, hic laboris ; illi aliquando animi anguſtiâ, hic magnitudine ; illi demum Rempublicam peroſi, hic ad Rempublicam paratior ut accederet Rempublicam parumper evitavit. Jam vero quum Adoleſcens ornatiſsimus condemnatâ univerſorum viâ, honorum non expetendo, ſed recuſando ſe digniſsimum praeſtitiſset; nullique tam ſerò, quam ſibi ipſe probaretur; ab exactiſsimo illo verae virtutis aeſtimatore Pontifice, *Innocentio* inquam XII. Aemiliae nobiliſſimae Provinciae datus eſt Pro-Legatus, quo tempore Fortunatus Carafa Cardinalis ipſius conterraneus eamdem Provinciam Legati a Latere majori cum poteſtate obtinebat. Hic autem Neapoli in Patria quum forte commoraretur, ipſius vice, tum etiam ſuo munere Thomas Rufus adeo graviter ſapienterque defunctus eſt, ut Pontifex Vigilantiſſimus, ut Cardinalis ipſe, Populique omnes Aemiliae lectiſſimi Adoleſcentis diligentiam, integritatem, comitatem ſummopere commendarint. Quin aliquot etiam regionum illarum Epiſcopi dum ejus imperio, quod nimis amplum ex adjuncta Legati a Latere authoritate videbatur, detrectarent, nihil quod ipſius innocentiae, quod aequitati, quod moribus objicerent habuerunt. Quod objicerent dico? Immo vero ſummis ipſum laudibus proſequuti ſunt. Porro quum omnis bene factorum, virtutiſque pulcherrima ſemper & expetenda laus mihi videtur, tum ea potiſſimum quae ab exulceratis leviter animis magnis Viris impertiri ſolet, ut quantum ſibi amoris vindicet virtus, tantumdem offenſio detrahat, atque ita liberum ſi fieri poſſit, ſin minus nonnullâ ſeveritate potius quam gratiâ tinctum, ab invitis quoque laudis judicium proferatur. Neque vero me praeterit quam illuſtres in Inſula Melitenſi, quantaſque res ille poſtmodum geſſerit, quum ibi graviſſimum Fidei Quaeſitoris officium incredibili animi virtute gubernaret. Nemo unquam in eâ Inſulâ nobiliſſimâ tam utilem tamque praeclaram univerſo

verſo Joannitarum Ordini, Eccleſiaeque Romanae impendit operam; nemo ſe difficilioribus temporibus, negociiſque tam alacriter tantaque cum gloria expedivit ad ſui nominis celebritatem ſempiternam. Vos mihi ex Ora maritima depoſitis parumper ſagulis, trucique minarum aſpectu exhilarato, Vos inquam adeſte fortiſſimi Viri,qui nominis Chriſtiani teterrimos hoſtes pro veſtro inſtituto a cervicibus noſtris, a fortunis, a ſedibus, ab aris, ab nefaria omni direptione toties repuliſtis: Vos illum in ampliſſimo veſtroSenatu ſaepe de rebus graviſſimis differentem, Vos illius fortitudinem, conſilium, celeritatem, conſtantiam admirati, ſaepe ſaepius veſtrarum expeditionum authorem illum, fautoremque ac pene ſocium habuiſtis. Ad nos tantarum rerum, pauloque ab noſtrâ aetate remotiorum vix aliquis famae rumor perlatus eſt. Qua tempeſtate Fabritius Rufus Thomae Cardinalis Patruus bellicoſiſſimus vir, quum inter Hieroſolymitanos Equites maximum ſibi nomen ob invictam in hoſtes firmitatem, reique militaris peritiam comparaſſet, multis iccirco ſummiſque auctus titulis magna praeditis dignitate; duo veluti lumina praeclariſſima e Ruforum Gente Melitenſem Inſulam illuſtrarunt, ut pace Nepos, Patruus bello eximius, hic manu, ille conſilio, alter Imperatoriis laudibus excellens, alter vero Sacerdotii, uterque hoſtis barbararum gentium infenſiſſimus, uter utri praeſtaret in juvanda Religione ambigeretur. Quippe quum Equeſtris Melitenſium Ordo,& Reſpublica Genuenſium vetere, mutuiſque offenſionibus renovato ſemper odio in maximam totius Chriſtianae rei perniciem diſſiderent, eoque ab horrendis Tartarorum Satellitibus, truculentiſſimis illis malorum omnium praecipueque ingentium rixarum altoribus diſſidia eſſent perducta, ut nec illuſtres a Majorum nobilitate Genuenſes in illum Ordinem praeſtantiſsimum reciperentur, nec Coelo,ventiſque communibus, aquâ, terrâ, portu, littore, ſtatione juregentium uti liceret; immo vero ſi quando in mariNaves utrinque occurriſſent hoſtilem

lem in modum ſe igne, ferroque viciſsim exciperent, undis fluctibuſque ſaepe reliquum praelii conficientibus, quod communibus hoſtibus jucundiſsimo erat ſpectaculo futurum, noſtris vero fortunis, noſtroque nomini, ac religioni penitus luctuoſum: haec tanta belli molimina, hoc tam acre univerſae ferme Europae, e cujus flore Melitenſium Ordo componitur odium, Thomas Rufus magnanimo quodam ac prope divino conſilio, miríficâque cum celeritate ſedavit. Et quiſquam erit, qui hunc hominem ſummo Dei immortalis beneficio Terris conceſſum non arbitretur? Obſoleſcant Agrippae, Valerii, Syllae, Sulpicii, aliaque Romanorum celeberrima nomina, quae tantam in conciliandâ pace tollendiſque diſcordiis Populorum ſequeſtri operâ ſibi gloriam pepererunt. Unus mihi omnium inſtar Thomas ampliſsimus erit, cujus ingenium, authoritas, humanitas, excellentia longe omnis aevi memoriam antecellit. Quid? quod Equites Hieroſolymitani tantum ſibi de ipſius virtute ſpoponderunt, ut quoniam publicas gentium contentiones nullo ferme negocio diremiſſet, ultro ad ipſum quaeſtiones liteſque privatorum deferrent, quas eximiâ illa juris univerſi cognitione ſapientiſsime terminaret. Adeo ipſius imperium juriſque dictionem certatim quiſque ſubire non recuſabat, vincique ac vincere, modo ab ipſius judicio penderet, haud in magno erat diſcrimine, quin ab omnibus aeque glorioſum putabatur. Ex illâ vero Inſulâ diſceſſurum Raymundus Perillus Magiſter Equitum Supremus tantâ benevolentiae ſignificatione proſequutus eſt, ut ipſius comitatum inſtructis Triremibus honoris ergo exornarit, quae triumphantem veluti ad Siciliae littus exponerent. Reddite jam in mari medio locatae, diſsitaeque ambiguae Terrae, vos aequorei fluctus, fretique Siculi numquam non furentes anguſtiae, redeuntem eximium Praeſulem Italiae continenti reddite incolumem. Sat ille veſtras regiones ingenitâ ſibi virtute animique praeſtantiâ decoravit. Nemo noſtrum, arbitror, in tantâ rerum ignoratione verſatur, Auditores, ut

Me-

Mediceae Domus imperium, amplitudinem, potentiam perſpecta non habeat, planèque ipſis oculis non intueatur: vix enim in Italiâ illuſtrius nomen, vix ulla major poſt veterem illam Romanorum gloria umquam exaudita eſt. Cujus quidem Domus authoritas cum apud omnes Principes inclyta, tum Romanis praeſertim Pontificibus jucundiſsima ſemper fuit, maximeque conjuncta, propterea quod, omni etiam praeteritâ vetuſtatis mentione, finitimam Ethruriam ac pene internam Ditio veluti amplectitur Pontificia. Thomae autem Rufo quum Romanae Sedis negociorum procuratio, qui eximius honor habetur, penes Coſimum III. Magnum ipſum Ethruriae Ducem ab *Innocentio* XII. eſſet commendata, nemo apud eum Principem plus valuit gratiâ, officiis, authoritate. Quod plane ipſi Thomae honorificentiſsimum, gratiſsimum vero Pontifici Maximo, Romanaeque rei admodum ſalutare quum accidiſſet (nam tunc vindicata jura Sedis Apoſtolicae ab omni obtrectatorum injuriâ, tunc ſacrarum rerum, locorumque immunitas rite, ſancte, firmiterque ſervata, tunc Populorum confinium rixae, quaerelae, contentiones ut plurimum acres & incitatae, extinctae prorſus atque deletae) ea Romae de ſapientiſſimi Praeſulis virtute fama percrebuit, ut nulla tam ardua, tam ingens quae ipſi committenda non eſſet Provincia videretur. Inaudito igitur exemplo, penituſque ſingulari poteſtas ipſi facta eſt ad Caeſarem, vel ad Hiſpaniarum Regem proficiſcendi, ut Apoſtolici Nuncii dignitatem praeſtantiſsimam ubicumque vellet explicaret. O mentes hominum inſanas, qui Te rerum arbitram, Divamque, ac tantum non Superis ipſis imperare, Fortuna, dixerunt! Nonne ſummis quandoque Viris Te obtemperare, veraeque virtutis nutum veluti mancipium obſervare conſpicimus? Interea vero dum ſecum ipſe Praeſul ornatiſsimus deliberaret, quonam pro Apoſtolicae Sedis ampliori commodo iter aggrederetur, jamque teſtimonia utriuſque Principis Romam perlata eſſent, ſe illum libentiſsime (cur enim ſecus?)

ſecus ?) excepturos : idem ipſe Pontifex *Innocentius* ſibi tantâ virtute diutius carere non poſſe viſus eſt , ſed in omni re atque omnibus horis ut ipſum coram intueretur , Pontificio Cubiculo , quo vix ullus honorificentior eſt gradus , praefecit . Cui ſane Pontifici vere Maximo neminem umquam gratiorem , neminem adeo morum gravitate , vitaeque innocentiâ probatum extitiſſe tunc ſatis aperte perſpectum eſt,quum ſibi poſtremos vitae ſpiritus trahenti unum ipſum exoptavit adminiſtrum Eccleſiae Sacramentorum , unum ſibi nuncium occaſus impendentis , quaſi vero mortis atrocitas a tantâ eſſet humanitate , modeſtiâ , pietate ſuperanda . Sinite me nunc Auditores, quod plerumque initio facere ſolent Oratores , ac Poetae , ſinite me tenuitatem ingenii confiteri meam,illamque divinam eloquentiae vim votis conciliare , quae quondam florentibus Athenis, vel hac ipsâ in Urbe hominum facta,menteſque ſuperavit.Numquam ego in hoc pulcherrimum licet laudationis officium deſcendiſſem, ſi tot, ac tantas,tamque varias praeſtantiſsimi Viri, ſemperque renaſcentes auctiores virtutes animi aliquâ ſuſpicione amplecti potuiſsem . Quid enim Deus immortalis ad commendationem ſublimius , quid illuſtrius,quid aptius ad mentes hominum admiratione ſuſpendendas , quam omnibus animi , corporiſque bonis excellentem virum , cui nec ortus , nec opes , nec ingenium , ad amplitudinem , ſplendorem , dignitatemque deficiant , in medio honorum curſu , in magna competitorum contentione , ipſiſque vel amicorum officiis, vel invidiâ inimicorum,vel plaudentium gratulatione ſuadentibus, Patriae Urbis nobiliſsimae Principatum recuſare ? Ipſe vero Neapolitanum Archiepiſcopatum totius Chriſtiani Orbis florentiſsimum, & vetuſtate longâque Sanctiſsimorum Praeſulum ſerie praeclarum , omnibuſque pollentem inſigniis a Pontifice Summo *Clemente* XI. ſibi ſaepius oblatum recuſavit . Recuſavitne , an precibus & lacrymis ne ſibi commendaretur ob illam animi de ſe nimium parcè ſentientis moderationem eximiam impe-

impetravit ? Quid rurſus tam inauditum, tamque ſupra omnem fidem dici poteſt, quam eumdem ſummâ Cardinalis dignitate, ſummiſque meritis auctum, Ferrarienſem Eccleſiam, illuſtrem illam quidem, at nec utilem ſibi, neque cum prima comparandam, gravibuſque praeterea oneratam penſionibus, atque adeo nulli expetitam, ne Pontificis imperium apud ſe minus valere videretur in ſuam fidem, tutelam, patrociniumque ſuſcepiſſe ? Suſcepit porro itàque ſuſcepit, ut nullum fuerit ornamenti genus, quo is Ferrarienſem Eccleſiam non cohoneſtaret. Multorum namque literis ac ſermonibus celebratum eſt, Cardinalem Rufum abſolutam nondum Ferrariae majorem Eccleſiam incredibili ſumptu perfeciſſe; perfectam ſtragulis opeimis, inſtrumentoque ſacro, ac donariis omne genus ditaſſe, ditatam vero ad Archiepiſcopatus evexiſſe faſtigium, atque ab Ravennatium Praeſulum conatibus vindicaſſe; perfectamque, ditatam, auctam, vindicatam per annos amplius viginti ſummâ charitate, bonitate, vigilantiâ, ſummoque illius Populi emolumento fuiſſe moderatum. Is in eâdem Urbe Archiepiſcopales Aedes liberaliſſime conſtruxit, Seminarium fundavit ampliſſimum annuo rèditu propriâ e pecuniâ conſtituto, villaſque & Suburbana Romano more magnifice exaedificavit. Quibus incoeptis dum avide naviterque ſtuderet, evocatus ab *Innocentio* XIII. beneficentiſſimo Pontifice ut ſibi ſummae rei a Secretis eſſe vellet, quod maximi loco imperii ſupraque Magiſtratus caeteros apud omnes ferè Principes eſt; in pulcherrimo illo inſtituto perſeveravit honores, opes, potentiam recuſandi, ne ab exercendâ liberalitate diſtraheretur vel ſummo Ferrarienſis Eccleſiae detrimento, vel magno ſucceſſurorum ſibi Praeſulum incommodo, qui tot ac tam inſignes orſus nonniſi magnis impendiis abſolvere potuiſſent. Proh mirificam virtutis vim planèque divinam, quae mentes hominum a communi ſenſu cultuque purgatas, quam ſimillimas reddit ipſi commodorum omnium authori Deo ! Immortalis profectoCardinalis generoſiſſimi erit ubique memoria, tum prae-

praecipue apud Ferrarienſes Populos, qui numquam de ipſius laudibus conticeſcent. Nondum enim ad illam Eccleſiam acceſſerat quum anno vertente MDCCX. amplificatâ ipſi ad Ferrarienſem quoque ditionem, quam in Aemilia obtinuerat anno ante ſummam Legati a Latere poteſtatem; eamdem Urbem ingenti aere alieno, maximiſque vectigalibus liberavit. Poſtea vero quam grave illud Coelum, quod a ſuae valetudinis ratione abhorrere nimium videbatur deſerere coactus eſt; invitus ac veluti reſpectans acſi abdicatam adhuc dignitatem, onuſque retineret, miſeros illhic & egentes continuis certiſque ſubſidiis quin juvaret, ne ab ipſo quidem temporis, & locorum intervallo umquam adductus eſt. Saxa ipſa mihi videntur Ferrarienſis Urbis, Fora, Templa, Aedes, Viae, Moenia tanti Paſtoris munificentiam poſteritati enarratura; cui quum Praeneſtina Eccleſia inter Suburbicarias dum Ferrarienſi quoque praeeſſet contigiſſet, id quod neſcio quâ conſuetudine invaluerat, poſteaque improbatum eſt, utramque ſumma virtute, prudentiaque incredibili gubernavit, ut quoniam utrobique adeſſe non poſſet, Praeneſtinam Dioeceſim optimis Praeſulibus regeret, literis, monitiſque, ac ſuo interdum ipſius difficillimo licet acceſſu; Ferrarienſi vero ſatis praeſentiâ ſuâ faceret ac provideret. Quid ea commemorem quae in Provinciâ Aemiliâ reliquit excelſi animi admirandique inſignia monumenta? Purgatas Urbes ab omni facinoroſorum hominum peſte, excultos agros, aquiſque ſubtractos, publicos Bononiae proventus vehementer amplificatos, vectigalia multa graviſſimaque quibus Annona premebatur ſemel iterumque ſublata? Quae adeo Summis Pontificibus grata probataque fuere, ut ipſum pluries vel ab eâdem Provinciâ exacto Imperii tempore non revocarent, vel exoptantibus Populis, unumque illum ſibi Praeſidem dari exorantibus munerarentur. Ipſe etiam Jacobus III. Magnae Britaniae Rex magnifico apparatu Bononiae a praeſtantiſſimo exceptus Cardinali, omnibuſque cultus officiis, tantae ſpeciem

ciem virtutis, tantam admiratus magnitudinem animi, ſapientiam, humanitatem; nihil ſibi ambigendum eſſe duxit, quin illum Regiâ familiaritate, atque amicitiâ digniſſimum exiſtimàret. Neque vero is ego ſum, qui ſingulas Viri ampliſſimi res geſtas recenſere, proque earum dignitate diſſerere poſſim, ac velim; quum nemo ſibi tantum excellere dicendi facultate, ingenioque videri poſſit, qui etiam ſe tantis laudibus imparem nolit confiteri. Praetereunda igitur ſunt nobis, quae Praeneſte, quae Velitris geſſit, ubi vel coactâ, celebratâque Synodo Clericorum diſciplinae ſanctitatem reſtituit, & confirmavit, vel Sacerdotiis opulentiſſimis Epiſcopali menſae adjunctis finitimos Urbibus agros a perditorum hominum rapinis injuriiſque ſervavit immunes. Jam quanta Romae, quae ipſi propemodum unica videtur patria fuiſſe ad Sedis Apoſtolicae majeſtatem, poteſtatemque aſſerendam, ad verae incrementum religionis, & caſtitatem, in Populorum, Urbiumque ac familiarum jurgiis, & contentionibus pacandis, inque fortunis proborum hominum extollendis operatus eſt? Quae aliaque complura quum ante oculos habitent, perque ora omnium ferantur, verendum profecto mihi eſt, ne ſi Oratione progrediar extenuare potius ea videar, quam commendare. Anne parum de tuâ pietate, religione, beneficentiâ, humanitate, parumne loquentur Eminentiſſime Princeps hae Arae ſacraeque Aedes, quas coram intuemur a Te pretioſis lapidibus, auroque, ac picturis exornatae? Parumne iſtud Sepulchri monumentum a Te vivo conſtructum, in quo famam adhuc noſtro moerore conſtrictam videor mihi videre, ſtatim ac ſuperne marmor removeatur qui noſtris Te oculis, heu dolor! ſubtrahet, ad celebritatem tui nominis evolatura? Parum tot Nobiles, honeſtaeque ad rerum omnium egeſtatem redactae familiae tuâ munificentiâ clam ſuſtentatae? Parum tot Virgines, Mulieres, Pueri ab omni dedecore, contumeliâ, turpitudine ſervati? Sontium uxores & liberi tuâ ope ab inopiâ, infamiâque recreati? Aegroti certo cenſu conſtituto

ſtituto ſalutaribus remediis ab interitu vindicati, a morbo, a languore? Quae porro tanta ſunt, ut haec Urbs plurium ſane commendet benefacta Principum virorum; tua vero etiam admiretur. Mihi tamen ſingulas Animi tui dotes, laudeſque pulcherrimas tacite libenterque ſuſpicienti, praecipueque tuam iſtam Animi excellentiam, quâ omnes infra Te honores, omneſque ſemper dignitates habuiſti;nihil adeo ad comparandum nomini tuo ſempiternum decus valiturum videbatur, quamquod Summis Te Pontificibus, qui ſuperiori exeunte,quique hoc ſaeculo floruerunt ita probaſti, ut omnia in Te certati contulerint, niſi pleraque rejeciſses, ornamenta. Quos inter Tu mihi temporis quidem ratione poſtremus, at gratiâ meritiſque in Cardinalem praeſtantiſſimum primus occurris BENEDICTE Pater Beatiſſime, qui ad altiſsimum iſtum dignitatis gradum ut aſcendiſti, nihil ante geſſeris, nihil propemodum cogitaris, quam honorificentiſsimum R. E. Vice-Cancellarii munus tunc forte Rectore viduatum Thomae Rufo exhiberes, ut ab inſigni virtutis commendatione initiaTui iſtius Pontificatus rerum a Te poſtea geſtarum gloriâ & magnitudine ad immortalitatem evecti auſpicarere. Ita quantum illeTibi caeteris praeſtare viſus eſt, tantum Tu omnibus praeſtitiſti. Neque tamen id nunc ago, ut vel tua facta, vel omnia quae a Te in Ruforum Gentem profecta ſunt ornamenta commemorem, quum illud mihi ſufficiat meminiſſe TeAntonium Rufum ſuâ & Patrui virtute praeſtantem inter Purpuratos Patres locum habere voluiſſe. Qui quum ſingulari quadam benevolentia, & pene pietate viventem Patruum proſequeretur, divino quidem conſilio effectum eſt, ne cruciatibus quos ille pertulit maximis, tantoque luctui praeſens intereſſet. Neque enim ſi conſtantiſsimus ille Senex firmitate quadam ſingulari, & vix humana virtute tot incommoda toleravit, idcirco etiam lacrymis temperare, qui praeſto ipſi obeunti fuere, potuerunt. Nam quis non commoveretur quum toties ipſius membra ſecari, tot ulceribus paula-

paulatim corrodi, acerbiſsimoque mortis genere deficere intueretur ? Quis ploratum cohiberet quum eum qui ſanctiſsime vixiſset, moribuſque intaminatis ad extremam uſque ſenectutem benefaciendo magis, quam naturae vi vitam produxiſſet, illâ tamen eximiâ praeſtantique modeſtiâ vel in ipſo mortis limine uti animadverteret, qua ſibi veniam erratorum ab aſtantibus eſt deprecatus ? Vos, inquit, Amici ſi quidquam in vos deliqui, ſi quidquam in me offendiſtis, jam tot malis oppreſso,poſtremamque hanc vicem ſubeunti ultro concedite.Vos imo quaeſo obteſtorque ut ex hac vitâ mortali abeuntem ſacris, precibuſque juvare, terribilique me judicio ſiſtere velitis. Tum ad fidiſſimum quemque, longâque ſibi junctum conſuetudine converſus: Te vero cariſſime aliqua ne impoſterum tenebit memoria mei ? Tibi autem (Te intuens Tiberi Rufe Praeſul ornatiſſime) familiares, pauperes, literas, pietatem commendo. Quos luctu ac maerore confectos,ipſe jam jamque moriturus etiam ſolabatur. Miſerum me! Tanta ne animi praeſtantiâ,tanta ne virtute nos jam ſumus orbati ? O beatam hanc Urbem, quae tam liberali, tam benefico, tam innocenti Viro fruebatur: Miſeram quae amiſit: Ingratam ſi tantorum ullo umquam tempore meritorum obliviſcetur. Ego vero noſtrae orbitatis recordatione triſtiorem vobis luctuoſiſſimum caſum efficere, veſtrumque dolorem, Auditores, augere nolo; minuere certè non poſſum: ſed quoniam dolere in tanta jactura nobis neceſſe eſt, non tam foeliciſſimi Cardinalis deſiderio ad ampliorem diuturnioremque fortunam evocati, quam noſtro malo, detrimentoque doleamus.

F I N I S.